

*Spiritus Sanctus suggeret vobis
omnia quæ dixi vobis.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 14, 23-29

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

- ²³ «Si quis díligit me,
sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus
et mansiónem apud eum faciémus;
²⁴ qui non díligit me, sermónes meos non servat.
Et sermo quem audítis, non est meus,
sed eius qui misit me, Patris.
- ²⁵ Hæc locútus sum vobis apud vos manens.
²⁶ Paráclitus autem, Spíritus Sanctus,
quem mittet Pater in nómine meo,
ille vos docébit ómnia
et súggeret vobis ómnia, quæ dixi vobis.
²⁷ Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis;
non quómodo mundus dat, ego do vobis.
Non turbétur cor vestrum neque formídet.
²⁸ Audístis quia ego dixi vobis:
Vado et vénio ad vos.
Si diligerétis me,
gauderétis quia vado ad Patrem,
quia Pater maior me est.
²⁹ Et nunc dixi vobis, priúsqvam fiat,
ut, cum factum fúerit, credátis».

Verbum Dómini.